

EUPATRIDEA.

SCRIPSIT

PETRUS BESSE.

COLMAE, MDCCCL.

TYPIS CAROLI BRANDTII.

HUPATRIDEA

REVUE DES

REVUE DES

REVUE DES

PRAEFATIO.

Vox eupatridarum num omnes nobiles Athenienses sit complexa, et Nelidarum familiae: Melanthidae, Pisistratidae, Alcmaeonidae proinde ad illos ascribendi sint annon qui de rebus Atticis disseruerunt usque adhuc inter sese discrepant. Quae quidem quaestio quum frequentissimis philologorum conventus anno millesimo octingentesimo quadragesimo sexto Jenae haberetur viros in antiquitatibus Graecis valde versatos in acres quasdam controversias vocavit. Ubi quum Vischerus, Alcmaeonidas esse eupatridas contendens, Sauppium adversarium non videretur devicisse atque res in medio relicta esset, singularem „de Alcmaeonidarum Athenis conditione“ libellum anno posteriore in lucem protulit, ut quod Jenae viva voce efficere non potuerat ad finem litteris perduceret. Neque tamen, licet omnia magna in prooemio sit locutus, quidquam profecit. Nam quae temeraria quadam iracundia contra Sauppium iterum defendit ab Hermanno paullo post, illius sententiam secuto, eximia „de Alcmaeonidis et eupatridis Atheniensibus“ dissertatione fortissime sunt refutata. Sed tantum abest ut in partem Hermanni discesserint ut Schoemannum nostrum, virum de rebus Graecis perscrutandis tam praeclare meritum, obsoletum illud atque prorsus reüciendum „eupatridarum numero comprehendi omnes nobiles Athenienses“ adhuc retinere non poeniteat. Quae quum ita sese habeant quaestionem contortam et difficilem, quae ad res Atticas bene diiudicandas tanti sit momenti, denuo excutere in animum induci.

Vocabulum *ἐπαρίδου* e particula *ἐπ̄* et nomine *παρίδου* constat. Quod quidem nomen *παρίδου* compositum est e stirpe *παρ* sive *παίη* et additamento *ιδης*. *ιδης* artissime cohaerere mihi videtur cum verbo *ιδειν* sive *εἶδεν*: videre, et nomine inde orto *ιδος* sive *εἶδος*, id est: *ὃ ἰδεται, εἶδεται*: quod videtur, sive visus. Quum igitur *εἶδος*, *ιδος* sit visus, *ειδης* sive *ιδης* eum significat cui est visus. Quoniam autem omnes res quae in hominum oculos cadunt habent visum, neque nisi diverso quo conspiciuntur visu discrepans earum natura cognosci non potest, discrimen quoddam in diversarum rerum visibus sive formis intercedit. Unde in omnibus quae videntur illud agitur quemnam proprium res singulae visum sive formam habeant qua ab aliis discernantur. Qua re perpensa cur *ιδης* nisi alii nomini adiectum non inveniatur intelligi potest. Quum autem significet omnino eum cui est visus, illud ipsum nomen quod *τῷ ιδης* praecedit quaerentibus nobis satisfacit atque declarat quem singularem visum res habeat de qua sermo est. Quaecunque autem res conspiciuntur eius rei visum praebent qua sunt orti, quum quae videmus non sponte nata sed certa quadam re profecta sint. Quae quum ita sese habeant additamentum *ιδης* in earum rerum nominibus plerumque nobis occurrit quae prae ceteris originem, causam qua exortae sunt declarant. Sed quae res quaero visu quaque in oculos ratione cadunt unde profectae sint magis demonstrant quam animantium progeniti, quippe qui et forma et tota corporis atque animi natura quo orti sunt genitorem prodere soleant? Quod igitur *ιδης* in eius generis nominibus compositis saepissime invenitur quibus origo paterna exprimitur sive in nominibus quae grammatici vocant patronymicis facile ad perspiciendum est. Itaque *ιδης* est inprimis terminatio patronymica, neque immerito Niebuhrius *τὸ ιδης* apud Graecos eandem habuisse vim contendit quam apud Romanos exitum inus.) Nam

*) Vorträge über alt. Gesch. I, 333.

item vocabula in inus cadentia alicuius originem paternam indicant, ita ut libertinus is sit qui ortus est a liberto. Sed amplior eius rei disquisitio non est propositi. Ut igitur ad quaestionem nostram propius accedamus, quum *ιδης* sit qui visum, formam, corpus habet, et quum quam propriam quis formam habeat nomine praecedenti significetur, *πατρίδην* eum appellari licet cui est forma patris, qui qua conspicitur ratione patris nos admonet, qui originem paternam forma ostendit. Itaque quum ita in oculos cadamus ut paterna nostra origo perspicui possit omnes quodammodo homines patridae appellari possunt. Sed ea ipsa origo paterna praecipue forma corporis, colore oris et dicendi ratione cognoscitur, ut qui originem trahit a patre Aethiopico prorsus aliter conspiciatur, prorsus aliter loquatur ac qui a Germanico, et facile ab illo hic discernatur. Unde fit ut vocabulum patridae ad patriam praecipue pertineat. Quamquam enim vocem *πατρίδων* cum *ἐν*³ non coniunctam nusquam apud auctores nisi uno Hesychii loco reperi,²⁾ ex iis tamen quae supra exposita sunt fieri non posse arbitror quin eum significet qui forma corporis et qua conspicitur ratione paternam originem vel patriam suam originem declarat. Ille autem solus patriam originem Aethiopicam prae se ferre potest qui a patre Aethiopico ducit originem, sive qui in terra Aethiopica est natus. Itaque vocabulo patridarum nisi certae cuiusdam terrae aut patriae ratione habita uti non licet, ita ut eadem fere quae vocabulo indigenarum³⁾ potestas ei insit. At nomine indigenarum ubi utimur praeter indigenas alios eiusdem terrae incolas ante oculos habemus, qui quidem non sunt in ea terra geniti, non indigenae sed advenae, aliunde geniti sive alienigenae. Quae quum ita sint singularum civitatum incolae in duas partes de origine abeunt, quarum ab altera stant incolae indigenae sive patridae, qui auctores habent in terra de qua agitur civitate iam usos, ab altera autem ii quorum patres non sub eodem quo ipsi fuerunt imperio, qui aliunde in novam terram sunt profecti, qui sunt advenae. Ut igitur qui in nostri regis ditione sunt omnes sane Borussi possunt appellari, neque tamen omnes Borussi indigenae sive patridae, sed ii soli qui in patria Borussica sunt nati, quorum patres iam civitate Borussica sunt fructi, ita etiam Graecarum civitatum incolae, si spectamus originem, bifariam dividi possunt. Nam qui Athenienses, quum illi Nelidae Messenia a Cresphonte eiusque sociis occupata in Atticam profugerant,⁴⁾ tum iam stabilem in Attica sedem habebant, qui a patribus Atticis profecti paternam Atticam prae se ferebant originem, quum Athenienses indigenae sive patridae appellari possent,

¹⁾ Hesych. edit. Albert. s. v. *ἀρμεθεις* cf. not.

²⁾ Pollux III, 8: *πατέρες: κατὰ τῶν ἄνω προγόνων.*

³⁾ Duncker Gesch. d. Alterth. III, 509. cf. Besse Alcmaeonid. 7.

propter hunc ipsum veterem in Attica ortum ab illis advenis Nelidis valde discrepabant, quippe quibus non essent patres Attici indigenae, non in Attica nati, sed Messenii alienigenae: Alcmaeon, Paeon, Andropomus.⁷⁾ Unde quum non essent πατρόθεν Ἀθηναῖοι, non παῖδες Ἀθηναίων, sed πατρόθεν Ἀλκμαίωνες, Παῖονες, Ἀνδρόπομποι, sive filii Alcmaeonis, Paeonis, Andropompi incolae patridae Athenienses vocari non poterant, sed potius Alcmaeonidae, Paeonidae, Andropompidae.⁸⁾ Rectissime igitur Hermannus noster ipsum Alcmaeonidarum nomen fuisse monumentum aere perennius alienigenae eorum originis confirmavit.⁷⁾ Quamquam autem qui Nelidae domo in terram Atticam migraverant ibi fuerunt advenae et alienigenae, tamen eorum posteros alienigenarum numero ascribi non iam licuit, sed quum nati essent in ipsa terra Attica, non Messenia, quum eorum patres civitate Attica iam essent gavisi ipsi item patridae Athenienses fuerunt. Unde evenit ut qui postea Athenienses, quorum quidem maiores iam patridae erant incolae Attici quum Nelidae in Atticam recipiebantur, antiquissimum ipsorum indigenam in Attica originem prae istis Nelidarum posteris extollere volebant sese esse non solum Atticos patridas praedicarent, immo etiam eupatridas.⁹⁾ Nam de adverbio εὖ, quod multis nominibus praecedit, cui voci additum est ejus notionem auget illudque quod nomine declaratur abundare significat.⁹⁾ Εὐγενής igitur est qui multum et abunde habet generis, εὐδοξος qui multum et abunde gloriae, sive multam gloriam. Neque vero illi particulae εὖ inesse quandam comparationis vim negari potest, ut si quem appellamus εὐδοξον multo gloriosorem eum esse ostendamus quam alios quos in animo habemus, qui quidem minus illo sunt gloriosi, tantum δόκιμοι, gloriosi.¹⁰⁾ Unde saepenumero particula εὖ cui nomini annexum est tribuit potestatem quam grammatici dicunt intensivam, atque εὐδοξος idem valet quod μάλιστα δόκιμος, maxime gloriosus. Quae quum ita sint fieri non potest quin eum εὐπατρίδης significet qui multum et abunde habeat indigenae in patria originis, sive multam originem indigenam.¹¹⁾ Illi autem multa in patria est origo cuius non solum pater aut avus ibi civitate fructus est, sed etiam proavus, abavus, immo atavus, ut antiquissimi

⁷⁾ Herodot. V, 65. designat eos rectissime: ἐπήλυδες.

⁸⁾ Alcmaeonid. 6.

⁹⁾ „Alcmaeoniden und Eupatriden in Athen“ in: Zeitschrift für Alterthumswissenschaft 6. Jahrgang 1848.

¹⁰⁾ Vocem eupatridarum admonere nos patridarum iam perspexit interpres illius loci Hesychiani. cf. Welcker Aeschylisch. Trilogie 300. Harpoer. ed. Val. s. v. Ἰαπρία Ἀθηναῖα. Suid s. ead. voc. cf. p. 5. not. 2.

¹¹⁾ Hesych. edit. Albert. s. v. εὖ: ἰσχυρῶς, δασέως.

¹²⁾ Steph. thes. s. v. εὖ.

¹³⁾ Casaubon. ad Athen. IV, 159. d. εὐπατρίδαι: qui patrem suum eferre queant.

eius maiores domicilium iam in eadem civitate haberent. Ut igitur patridae alicuius terrae incolae cum advenis et alienigenis in comparationem vocantur, et in vocabulis *πατριδῶν* et *ἐπιγλύδων* originis magis ratio habetur, in usu vocum patridarum et eupatridarum quum originem tum tempus praeter originem spectamus. Unde patridam cuiusdam terrae incolam cum eupatrida comparari licet, et eupatrides is est qui multo plures maiores¹¹⁾ in eadem patria iam natos possit ostendere quam patrides, sive, quod idem est, cuius maiores antiquissimis iam temporibus erant indigenae in patria incolae, non advenae, non alienigenae, sed ipsa terra progeniti, aborigines. Iam vero utrum quae supra exposita sunt ad veterum de voce eupatridarum nuncios quadrent annon quaerendum est. En illustrissimi quidam eorum loci: Thomas Magister¹²⁾ dicit s. v. *εὐπατρίδης*: ἐκάλουν εὐπατρίδας τοὺς εὐγενεῖς (ὡς) ἀντόχθονας, τοῦτο γὰρ πολλοῦ τινοσ ἄξιον ἔκριναν. Hesychius s. v. *εὐπατρίδαι*: ἀντόχθονες, οὐχὶ ἐπιγλύδες. Moeris: *εὐπατρίδαι* Ἀτικοῦς, ἀντόχθονες Ἑλληνικοῦς. Inprimis autem in singularem illam scholiastae notam¹³⁾ animum advertamus: *εὐπατρίδαι παρ' Ἀτικοῦς οἱ ἀντόχθονες καὶ κατὰ τοῦτο περιφανεῖς, οἱ εὖ ἔχοντες ἔνεκα τῆς πατρίδος, ὡς εἶναι τοὺς εὐγενεῖς ἐπὶ πλέον τῶν εὐπατρίδων. ὥστε εἰ τις εὐπατρίδης καὶ εὐγενής, οὐ μὴν εἰς εὐγενήσ καὶ εὐπατρίδης. Quod igitur Wachsmuthius¹⁴⁾ eandem voci *εὐπατρίδων* inesse vim atque *ἀντοχθόνων*, ut altera alterius locum habere possit, quis est qui non rectissime iudicatum esse censeat.¹⁵⁾*

At veterem apud Atticos valuisse opinionem ipsorum maiores priscos fuisse indigenas inter eos qui de rebus Atticis scripserunt nulla est dissensio.¹⁶⁾ Quis enim

¹¹⁾ Welcker Theognis XXIII.

¹²⁾ edit. Bernard. cf. not. 5.

¹³⁾ ad Sophocl. Electr. 25.

¹⁴⁾ Hell. Alterth. I, 810.

¹⁵⁾ cf. Welcker Aeschylische Trilogie 300. Tittmann Darstellung der griech. Staatsverf. 575.

¹⁶⁾ Anecd. Graec. edit. Becker vol. I. p. 466: *ἀντόχθονες*: οἱ Ἀθηναῖοι, ἢ ἐπεὶ τὴν χθόνα, τοῦτ' ἐστὶ τὴν γῆν ἀργὴν οὖσαν πρῶτοι εἰργάσαντο, ἢ διὰ τὸ μὴ εἶναι αὐτοὺς ἐπιγλύδας. Harpoer. edit. Vales: *ἀντόχθονες*: οἱ Ἀθηναῖοι. cf. not. Harp. s. v. *Παραθήρεια* cf. not. Hesych. edit. Albert. s. v. *Ἰήμον Ἐρεχθίδης*: s. v. *γενεῖς*. cf. not. s. v. *ἀντόχθων*. cf. not. 2. Etymol. Magn. edit. Sylburg. s. v. *Ἐρεχθεύς* p. 371. Etym. Magn. s. v. *Ἐπακρία* p. 352. Stephan thes. s. v. *ἀντόχθων*. Suid. s. v. *ἀντόχθονες*: οἱ Ἀθηναῖοι. Pollux. ed. Hemst. IX, 19. Eusthat. ad Hom. Odyss. p. 214. *κτλ.* 1213. 1281. 1498. Herod. VIII, 55. Thucyd. I, 2. Athen. XIII, 556. c. not. Lycurg. c. Leocr. ed. Pinzg. 24. 20. 11. c. not. Schoemann Griechische Alterthümer I, 314. Hermann Staats-Alterthümer edit. III. 91. cf. not. Curtius Griechische Geschichte I, 243. Grote Geschichte Griechenlands übers. Meissner I, 153. Duncker Geschichte des Alterthums III, 86. *κτλ.* Mueller Geschichte hellenisch. Stämme I, 107. II, 248. Clinton fast. Hell. I, 57. Zeitschrift für Alterthumswissenschaft 1843 7. Einige Bemerkungen etc.

Cecropem et Erechtheum, a quibus omnes Attici profecti esse dicebantur, ex vetustissimis eorum fabulis indigenas fuisse nesciat? Nam quod nonnulli de alienigena illorum origine narrarunt, quum a populi Attici memoria plane abhorreat, non curandum esse meritissimo Dunckerus¹⁹⁾ confirmavit. Ex quo Atheniensium studio priscam indigenam in Attica originem prae se ferendi²⁰⁾ illud etiam factum esse Muellerus censet ut Jon ille, a quo Athenienses nobiles sese ortos esse praedicabant,²¹⁾ Attici indigenae in fabula Euripidis partes agat²²⁾ qua re Jonum in Attica sedes iure hereditario antiquitus occupatae indeque iustae esse videantur.²³⁾ Quod autem Athenienses indigenae in Attica terra origini tantum tribuebant, tum ratione ceterorum Graecorum et imprimis Dorum habita evenisse arbitror²⁴⁾, tum maxime Aeolum Atticorum. Quam quidem rem illud Moerideum etiam quodammodo significare: *ἐνπατριδαὶ Ἀττικῶς, ἀντόχθονες Ἑλληνικῶς* quid obstat quin ponamus? Declarare enim Moeris altero illo loco mihi videtur quotiescunque voce *ἀντόχθονων*²⁵⁾ usi essent Athenienses omnino Graecos spectasse, qui quidem extra fines Atticos consedissent, Aeoles, Achaeos, Dores, quos omnes nomen Hellenum complectebatur. Quum igitur Boeotis Aeolibus, aut illis Achaeis qui e meridiana Peloponnesi parte a Doribus pulsati septentrionalem occupaverant, aut Doribus Peloponnesiis iniustas sedes exprobrare volebant, priscam ipsorum originem in Attica indigenam iactabant, quippe qui agros Atticos a maioribus relictos iustissime obtinerent. Itaque consideranti mihi Graecorum res usum vocabuli *ἀντόχθονων* tum praecipue valuisse credo quum post Persas devictos inter Graecos ipsos funestissimae turbae domesticae exortae essent, atque Athenienses cum Spartanis de principatu Graeciae contenderent. Sed priore iam tempore vox *ἐνπατριδῶν* viguit, quod priscos Atticae indigenas multo prius atque multo magis Atticis Aeolibus²⁶⁾ aliunde profectis iustas ipsorum sedes ostentasse liquet quam externis reliquae Graeciae Hellenibus. Quam ad rem illud etiam accedit quod ante bella Persica nisi quorundam deorum cultus et ludorum usus nihil

¹⁹⁾ III, 88. not. 2.

²⁰⁾ Isocrat. de pace p. 169. C.

²¹⁾ Schoemann l. c. Grote I, 164.

²²⁾ Lycurg. c. Leocr. 24. Bossler de gentib. 21.

²³⁾ Zeitschrift etc. 1843 7. Heft. Mueller l. c. II, 248. Schoemann Griech. Alt. I, 317. cf. Pausan. VII, 1. 17.

²⁴⁾ Herodot I, 56. VII, 161. VIII, 44. Wachsmuth Hell. Alterth. I, 188. 386.

²⁵⁾ Isocrat. de pace l. c.

²⁶⁾ Alcmaeonid. init. Apollod. I, 9. Diod. IV, 68. Schol. ad. Arist. vesp. 1076: *Ἀττικοὶ μόνου δικαίως ἐγγενεῖς ἀντόχθονες.*

fere Graecis civitatibus commune fuit, et priores Graecorum res non ad totam Graeciam tam pertinuerunt quam ad singulas eius partes. Quod igitur Moeris addit: *εὐπατρίδαι Ἀττικῶς* ita probe explicari posse censeo, quum non totam Graeciam sed solam ipsorum terram spectassent voce eupatridarum Athenienses esse usos, ita ut exinde vox eupatridarum de Graecis Atticis tantum valeret, autochthonum autem de omnibus. Quae quum ita sese habeant quid quaero de perversissima eorum sententia dicamus qui, ut nuperrime iam Schoemannus,²⁶⁾ eupatridas fuisse omnes nobiles Athenienses contenderint, et Jones indigenas et Aeoles alienigenas? In quorum locis recensendis ut commorari longum est, ita quin testes duo gravissimos afferam intermittere non possum qui sententiae meae quam maxime faveant. Dicit Curtius:²⁷⁾ Die Eupatriden (Theseo rege) sind keine gleichartige Masse; es sind die in verschiedenen Zeiten eingewanderten Geschlechter, ältere und jüngere, deren Gegensatz sich niemals ganz verwischt hat. At altero loco, ubi Nelidarum in Atticam migrationis mentionem facit, idem ille tradit:²⁸⁾ Hier liegt der Keim des für Attika so wichtigen Gegensatzes des autochthonen Landadels und des eingewanderten Adels. Quibus cum verbis illa Hermanniana praeclare congruunt: „Als Epelydes,²⁹⁾ als Ankömmlinge aus der Fremde, konnten die Alkmäoniden bei aller altadeligen Abstammung doch keine Eupatriden im attischen Sinne des Wortes sein.“ „Die Alkmäoniden sind auch von Adel, aber das Vollblut autochthonischer Eupatriden achtet ihn sich nicht völlig gleich.“ „Die Alkmäoniden haben nie die historische Gleichstellung und Verschmelzung mit der eingeborenen Aristokratie erlangt.“ „Die mangelnde Autochthonie³⁰⁾ der neu aufgenommenen, flüchtigen Adelsgeschlechter liess zwischen diesen und den Eupatriden stets eine Kluft offen.“³¹⁾ Profecto in duas factiones iam antiquitus nobiles Athenienses scissos esse reperi-

²⁶⁾ Griech. Alterthüm. I, 322. „Der allgemeine Name der Adeligen aber ist Eupatriden.“ not. 4. „dass nicht blos die alten, vermeintlich autochthonischen, sondern auch die eingewanderten Adelsgeschlechter Eupatriden waren, ist wohl schon allein daraus klar, dass gerade das angesehenste Geschlecht, das der Kodriden, zu den eingewanderten gehörte.“ (?) Magis rem sensit Schoemannus 131. 132. Grotii sententiam (ambiguam) cognoscat I, 405. II, 40. 58. Mueller Geschichte hell. Stämme I, 203. II, 246. cf. Schoemann de iudiciis Heliast. 9. antiquit. 167. Zeitschrift für Alterthumswiss. 1843. 7. Heft 601. Tittmann 576. Quid Niebuhrus: Römische Gesch. I, 328 sibi velit non intelligo.

²⁷⁾ I, 250, quamquam ipse Curtius sibi non constat 255.

²⁸⁾ I, 248.

²⁹⁾ Alcmäoniden und Eupatriden.

³⁰⁾ Staats-Alterth. edit. IV. 298. Sibi repugnat Hermannus: Staats-Alterth. edit. III. § 106, quo loco Solonem Codridam appellat eupatridam.

³¹⁾ cf. Plass Die Tyrannis I, 50. 53. Meier de gentil. Attic. 28. 40.

mus, quarum faciebant alteram qui ante rem publicam a Theseo constitutam veterem iam sedem in Attica habebant,³²⁾ alteram autem omnes qui post Thesei demum regnum et inprimis post Dorum in Peloponnesum migrationem ad Atticos profugerant.³³⁾ Quorum in numero prae ceteris fuerunt familiae Nelidarum: Alcmaeonidae, Melanthidae, Paconidae et, qui posteriore praeterea tempore Athenis conseruerant, Pisistratidae.³⁴⁾ At quod inter omnes alienigenas Atticae familias ad Alcibiadis usque tempora³⁵⁾ Alcmaeonidas potentia valuisse constat, eupatridarum vocem inprimis Alcmaeonidarum ratione habita Athenis in usu fuisse credo, neque immerito Hermannus noster, posterioribus praecipue Atheniensium rebus consideratis, dissertationem illam acutam, qua demum perlecta de quaestione difficillima primam mihi lucem esse allatam animo erga mortuum gratissimo confirmo, non „de Nelidis et eupatridis Atheniensibus“ inscripsit sed „de Alcmaeonidis et eupatridis.“ Quid igitur pretii libello tribuendum sit apparet quo Vischerus Alcmaeonidas fuisse eupatridas demonstrare laboravit.³⁶⁾ Immo stat semperque stabit iam a Sauppio in conventu Jenensi³⁷⁾ in Vischerum allata sententia Alcmaeonidas e numero eupatridarum nunquam fuisse. Sed quid in illo commoror quum locus ille Isocraticus, quo orator, Alcibiadem paternum genus ab eupatridis, maternum autem ab Alcmaeonidis duxisse confirmans, verbis clarissimis Alcmaeonidas ab eupatridis seiunxit,³⁸⁾ omnem controversiam prorsus delere possit? Neque vero unde fieri potuerit intelligo ut ille locus tam simplex, tam sanus a Schoemanno, qui maxima licentia usus pro *εὐπατριδῶν* scribi voluit *Εὐρυσσκιδῶν*,³⁹⁾ tam crudeliter vexaretur. Sed tamen Schoemannus violenta illa vocis permutatione oratorem Graecum non tanta iniuria affecit

³²⁾ Wachsm. Hell. Alt. I, 362: Eupatriden sind uns demnach der Gesamtheit Attikas, der seit der Einigung der vier Bezirke einen Stand bildete. Meier de gent. ind. schol. Hal. VII.

³³⁾ cf. schol. Soph. Elekt. 25. Paus. II, 14.

³⁴⁾ Alcmaeonid. 6. Boeckh expl. ad Pind. 301. Herod. V, 65.

³⁵⁾ Encyclopaedie von Ersch und Gruber: Alcmaeoniden. Boeckh expl. ad Pind. 300. 303. 307. Vischer Ueber die Stellung etc. 3. 15. Buettner Gesch. d. politisch. Hetaerien 58. Meier de gentilit. 38. Sauppe Verhandlungen etc. 45. Hertzberg Alkibiades 18. Herod. VI, 121. Isocrat. de big. c. 9. Plut. de malig. Her. 27.

³⁶⁾ Ueber die Stellung etc.

³⁷⁾ Verhandlungen der neunten Versammlung deutscher Philologen 1846. 43: „Die Alcmaeoniden waren nie auf der Seite der Aristokraten, hatten nie zu den Eupatriden gehört.“

³⁸⁾ de big. § 25. ὁ γὰρ πατήρ (Alcibiadis) πρὸς μὲν ἀνδρῶν ἦν εὐπατριδῶν, ὧν τὴν εὐγένειαν ἐξ αὐτῆς τῆς ἑπωνυμίας ὀρέδιον γινῶναι, πρὸς γυναικῶν δ' Ἀλκμαιωνιδῶν. cf. de hoc loco Grote I, 58.

³⁹⁾ de iud. Hel. in progr. Gryph. 1847 10.

quanta Vischerus, ut tamen denuo ad Vischerum redeam, quem durissima,⁴⁰⁾ sano iudicio prorsus destituta interpretatione, licet ipsis Isocratis verbis conservatis, vas purissimum quam potuerit maxime incrustare conatum esse iure Sauppius⁴¹⁾ confirmat. Itaque Hermanno nostro quod auctoris tam misere dilacerati patrociniū fortissime suscepit, atque praeclaram reportavit gloriam gratiam quam maximam habeamus.

Ut igitur bello Peloponnesio Athenienses vocabulo *ἀντοχθόνων* tum potissimum sunt usi quum odio in Spartanos de Graeciae principatu sibi obtrectantes ducti iniustissimum illis Peloponnesi imperium obiiciebant, ita Codro interfecto libentissime eupatridas sese nobiles Athenienses appellasse mihi videntur,⁴²⁾ quo magis Nelidarum immeritam in re publica potestatem ostenderent, civiumque et contemptum et odium in istos alienigenas excitarent.⁴³⁾ Sed qui Nelidis illud accidere potuerit quis est qui non miretur? Nonne ab ipsis eupatridis Nelidas in patriam receptos, quin summis etiam honoribus auctos esse audimus?⁴⁴⁾ Quam quidem gravissimam sentiendi et agendi apud Athenienses inconstantiam quo magis perspiciamus ad tempora obscurissima paullulum mihi recedendum esse arbitror, quum quae tum de Nelidis evenerunt nisi illis temporibus, licet maxima tectis caligine,⁴⁵⁾ diligenter consideratis intelligi non possint. Ante communem rem publicam Atheniensem a Theseo constitutam e compluribus parvis civitatibus terram Atticam constituisse, quarum suo quaeque usa esset imperio, gravissimus auctor est Thucydides.⁴⁶⁾ Quum autem inter eius modi civitates magna plerumque existat invidia, atque a natura homines ad fines amplificandos trahantur cupiditate, fieri non potuit quin disiunctae illae rei publicae Atticae saepenumero bella inter sese gererent.⁴⁷⁾ Sed non solum multis et vehementibus turbis externis eas percussas esse mihi persuasum habeo, sed, quum qui in singulis civitatibus imprimis potentia valebant valde sibi aemulatos esse pateat, gravissimis etiam contentionibus domesticis.⁴⁸⁾ Itaque quum indigenae nobiles

⁴⁰⁾ Hermann: Alcmaeoniden u. Eupatriden initio.

⁴¹⁾ Verhandlungen etc. 45.

⁴²⁾ Schoemann Griech. Alterth. I, 127. 128. Welcker Theogn. 43. 51. 59. 61. Aeschylische Trilogie 300. Postquam iure grammaticos voci eupatridarum eandem vim quam autochthonum tribuere confirmavit, addit vir clarissimus: Der Adel begründete sehr oft sein Recht auf Autochthonie. cf. Plat. Theaet. p. 179.

⁴³⁾ Suid. s. v. *ἔπιλυν*.

⁴⁴⁾ Alcmaeonid. 9. 13. 20.

⁴⁵⁾ Corsin. fast. Att. III. proleg. XII. Niebuhr Vorträge I, 202. 358. Wachsm. II, 773. Grote II, 41. Die Verfassungsgeschichte Athens nach Grote, von Schoemann 3. 29. 30.

⁴⁶⁾ Thucyd. II, 15. Plut. Thes. 24. Etym. Magn. s. v. *Ἐπαχρία*. Grote II, 57. Duncker III, 506. 511.

⁴⁷⁾ Thucyd. I. c. Plut. I. c. Duncker III, 94. 98.

⁴⁸⁾ Paus. I, 2. 31. VII, 1 Herod. I, 173 Platner 27. 37.

Attici livida invidia laborarent, iam ante Theseum in parvis illis civitatibus summos magistratus nonnunquam creatos esse e principibus alienigenarum nobilium, qui illuc sese recepissent,⁴⁹⁾ rectissime Platnerus⁵⁰⁾ iudicavit. Qua cum sententia etiam illud Aeliani quam maxime congruere videtur,⁵¹⁾ ab Atticis ad summos honores gerendos non solum cives sed alienigenas etiam bonos adque rem publicam ordinandam idoneos esse electos. Quae quidem res ne mira cui sit, illos nobiles indigenas, alios aliis in re publica potentiam invidentes, in alienigenam potius, qui ab inveteratis ipsorum inimicitiiis et contentione esset alienus, summam rerum detulisse consideret, quam ut aliquem e suo numero imperare paterentur. Illud autem tum plerumque evenisse censeo quum discrimen aliquod externum omnium saluti impenderet, atque tali duce esset opus qui ad repellendam communem perniciem animos dissociatos conciliare posset. Sed ex ipsis his internis inter nobiles indigenas de regno dissidiis illud evenit ut parvae civitates magis magisque fierent invalidae, neque iam ab hostibus in terram invasuris⁵²⁾ sese fortiter defendere possent. Quae quum ita essent nisi exiguis et infirmis imperiis in unum magnum atque potens confusis fieri non posse ut libertas Atticorum conservaretur, omnes iam ante Theseum videntur perspexisse quibus civium salus curae erat. At in talibus animorum voluntatibus, quum dispersos perituros, universos et coniunctos fortasse fore pares cives sibi persuaserint, princeps prudens atque strenuus est opus, qui quod tempus quodammodo in occulto maturavit in lucem proferat, ut e complurium civitatum ruinis nova res publica communis prodeat. Quem quidem principem fuisse Theseum memoriae proditum est,⁵³⁾ et licet in Theseo fabulam cum historia tam arte reperiamus copulatam, ut quid sit verum, quid falsum vix discerni possit, tamen vel Theseo vel alio quodam eius simili Athenis regnante separatas antea Atticae civitates⁵⁴⁾ in unam coisse Atheniensem pono. Quo in Theseo diutius commorari libet, quum quod Thesei et Thesidarum res quam maxime cum Nelidarum comparari possunt, tum quod in Thesei historia enarranda primum apud auctores in vocabulum eupatridarum incidimus. Dicit enim Plutarchus in Thesei vita,⁵⁵⁾ quae perpensa posterioribus Atheniensium

⁴⁹⁾ Düncker III, 104. 223. cf. Pausan. I, 35.

⁵⁰⁾ Beiträge zur Kenntniss etc. 25.

⁵¹⁾ var. his. XIV, 5.

⁵²⁾ Harpocr. edit. Vales. p. 105. Etym. M. s. v. βοηδρομεῖν. ed. Sylb. p. 202. cf. s. v. βοηδρομιῶν. s. v. ἐσχατιῶτις p. 384. s. v. Κωλιᾶδος p. 556.

⁵³⁾ Plut. Thes. 20. 24.

⁵⁴⁾ Etymol. Magn. edit. Sylburg. s. v. ἄστν p. 160. Paus. VIII, 2. Düncker III, 101. 209. 506.

⁵⁵⁾ 25.

rebus lucem afferre potest, populum Atheniensem in tres partes Theseum distribuisse: eupatridas, geomoros, demiurgos.⁵⁶⁾ Quae quidem partitio qua ratione sese habeat diu atque vehementer inter viros doctissimos ad haec usque tempora disputatum est. At quod Niebuhrus⁵⁷⁾ illi nuntio Plutarchico nihil omnino tribuendum esse iudicat, vir ingeniosus valde errasse mihi videtur, neque cur eum reiiciamus quid sit causae me plane ignorare nego. Nam eupatridae illi ipsi nobiles indigenae fuerunt, multis iam maioribus in terra Attica usi, qui ante rem publicam communem constitutam parvis in civitatibus summam rerum obtinuerant.⁵⁸⁾ Unde eupatridas fuisse eos scriptum reperimus qui generis regii fuissent participes.⁵⁹⁾ Quem nuntium eo magis ego quidem amplector quod quum alias tum maxime apud Homerum βασιλείς primores nobiles nunquam appellari notum est.⁶⁰⁾ Quod autem vox eupatridarum aliis quibusdam locis eos significat qui sint honoribus aucti, qui imprimis potentia floreat,⁶¹⁾ quam ad ea quae a Plutarcho de eupatridis traduntur quadrent quemque perspecturum esse arbitror. At quod ad iura attinet quae a Theseo illis eupatridis prae ceteris Atheniensibus concessa esse audimus,⁶²⁾ verissime Thirlwallus⁶³⁾ mihi videtur iudicasse illam eupatridarum in re publica potentiam, iura dicenda et sacra procuranda⁶⁴⁾ praecipue spectantem, ante communem rem publicam a Theseo conformatam iam apud nobiles fuisse.⁶⁵⁾ De ceteris autem qui memorantur novae civitatis incolis, geomoris et demiurgis, dicere liberius non est propositum. Sed tamen praetermittere non possum quin ne paullulum quidem rei publicae administrandae illos fuisse compotes contendam. Itaque cives Athenienses tum in duas partes abierunt,⁶⁶⁾ et numero et potentia dissimillimas,⁶⁷⁾ quarum ab altera minore stabant illi

⁵⁶⁾ Hermann Staats-Alterthümer § 98. Meier de gentilit. Attic. in ind. schol. Hal. IV. cf. Diod. I, 28. Pollux VIII, 111. Hesych. s. v. ἀγροιώται. Etym. M. s. v. εὐπατριδαί. Beck. Anecd. Gr. I, 257.

⁵⁷⁾ Vorträge I, 266.

⁵⁸⁾ Welcker Aeschylische Trilogie 300. Duncker III, 511.

⁵⁹⁾ Anecd. Graec. edit. Becker I, p. 257: εὐπατριδαί ἐκάλουντο οἱ αὐτὸ τὸ ἄσιν οἰκοῦντες καὶ μετέχοντες βασιλικῶν γένους καὶ ἡν τῶν ἱερῶν ἐπιμέλειαν ποιούμενοι. Etym. Magn. edit. Sylburg. s. v. εὐπατριδαί p. 395. Plut. Thes. 32. Platner 43. Meier und Schoem. Attisch. Prozess 6.

⁶⁰⁾ Passow lex. ling. Gr. s. v. βασιλεύς 2. 7.

⁶¹⁾ Steph. thes. s. v. εὐπατριδῆς. Schoemann Griech. Alt. I, 129. de comit. 11. Tittmann Darstellung der griech. Staatsverf. 575.

⁶²⁾ Plut. Thes. 25.

⁶³⁾ Thirlwall Gesch. v. Griechenland übers. Haymann. II, 10.

⁶⁴⁾ Duncker IV, 211. Curtius I, 251. Mueller Geschichte hellénisch. Stämme II, 245.

⁶⁵⁾ Bossler de gent. 18.

⁶⁶⁾ Niebuhr Vorträge I, 348.

⁶⁷⁾ Duncker III, 103.

nobiles indigenae, qui in parvis civitatibus summae rerum praefuerant, ab altera autem maiore omnes rustici et opifices, aut agris colendis aut tributo solvendo nobilibus obnoxii.⁶⁹⁾ Unde verissime Dionysius rem publicam Atheniensium illo tempore ex eupatridis constituisse tradidit, qui eius moderandae fuissent participes, et e rusticis, qui ab omnibus honoribus remoti essent.⁷⁰⁾ Quid ergo? Non erroris Plutarchus noster, licet de rebus ipsis quales tum fuerunt nuncios integros attulerit, in eo tamen accusandus est quod falsum eis nomen imposuit qui Theseo summum imperium obtinente inter cives maxime pollebant? Num quae vox posterioribus demum temporibus Athenis viguit Theseo iam rege in usu fuisse falso contendit, ita ut in rebus Thesei enarrandis ἀρίστους, βελτίστους sive δυνάτωρ illos nobiles multo aptius appellasset?⁷¹⁾ Minime. Profecto Theseo regnante nomine eupatridarum Athenienses iam esse usos iudico, et id primaria quidem et genuina de qua supra egimus significatione. Nam illi eupatridae Plutarchici, qui deletis civitatibus exiguis Athenas novae rei publicae caput demigraverant, fuerunt prisca nobiles Attici indigenae, a quibus alios quosdam terrae incolas, iniustissime sibi quum alienigenae essent magnam in civitate Attica vindicantes potentiam, discernamus necesse est. At quinam sunt isti alienigenae, non in terra Attica geniti, aliunde profecti, advenae, ἐπήλυδες, ξένοι? Sunt ipsi illi Aegidae, qui tum summam imperii Athenis obtinebant. Est enim a veteribus memoriae proditum Aegeum, Thesei patrem, non esse ortum a Pandione,⁷²⁾ rege Attico indigena, sed aliunde Athenas commigrasse. Quae quidem res, quamquam quae de Aegeo narrantur maxima ex parte speciem fabulae prae se ferunt, quam in illa cadat quae a Platnero⁷³⁾ iudicata esse supra attuli quisque intelliget. Quis autem quam vehementer nobiles Attici indigenae Pallantidis ducibus⁷⁴⁾ in Aegeum regem sint coorti nesciat, quaque livida obtreptione usi, quod Pandionem et Erechtidam propinquitatem non contingeret, alienigenam illi originem crimini tribuerint?⁷⁵⁾ Quin illud etiam nobiles indigenas non solum ipsos coniurasse ut contendam adduceret, sed quo illius imperium facilius deleterent plebeiorum etiam in regem advenam odium concitasse.⁷⁶⁾ At de ipso Theseo, quem

⁶⁹⁾ Duncker III, 103. 515.

⁷⁰⁾ Antiquit. II, 8.

⁷¹⁾ Hermann Staats-Alterthümer edit. III. § 53. not. 7. Theognis edit. Welcker XX.

⁷²⁾ Plut. Thes. 13. Meursius de reg. Athen. III. Bossler de gent. 1. Grote I, 164. Duncker III, 95.

⁷³⁾ Beiträge 25.

⁷⁴⁾ Pollux VIII, 119. cf. Grote l. c.

⁷⁵⁾ Plut. Thes. 13: *Θετὸς γένόμενος Πανδίωνι καὶ μηδὲν Ἐρεχθεΐδαις προσήκων.* cf. Harpocr. s. v. *Θετῆς*. Hesych s. v. *Θετόν*.

⁷⁶⁾ Plut. 17: *αὐθις ἀνεφύοντο τῷ Αἰγεί διαβολαὶ πρὸς τοὺς πολίτας.* cf. 12. 13.

quidem ab Aethra, matre Troezenia, esse genitum et Troezenem eundem educatum scriptum reperimus,⁷⁶⁾ quis est qui non verissime ab Hermanno confirmatum esse arbitretur nobilium in communem regem Atticum impetus fuisse felicissimos?⁷⁷⁾ Inde autem praecipue nobiles Atticos ut imperium Thesei tam aegre ferrent permotos esse Plutarchus tradit, quod iste Theseus in ipsa terra Attica non esset natus, sed aliunde illuc pervenisset. Itaque advenam et peregrinum designare atque notare eum solebant, qui ipsos eupatridas, priscos Atticae incolas, imperiis spoliasset quae ante rem publicam communem constitutam singulis in pagis Atticis obtinuissent. Quare factum esse plebeiis ostendebant⁷⁸⁾ ut multorum regum bonorum et indigenarum loco in unius principis alienigenae potestatem Attici essent redacti. Nam eupatridae nobiles, Menestheo imprimis duce,⁷⁹⁾ illud etiam enitebantur ut plebem blandissime aggressi quam possent maxime in regem Theseum sollicitarent. Quibus coniunctis et nobilium et plebeiorum seditionibus quum Theseus resistere non potuisset,⁸⁰⁾ corruit ad postremum novum eius imperium, atque ipse Scyrum profugere coactus est.⁸¹⁾ Sed quum ille Menestheus regnum Theseo deiecto consecutus esset mortuus, et Thesidae Demophonte duce Athenas redissent,⁸²⁾ eadem eupatridarum cum Thesidis certamina facta esse pro certo haberi potest.⁸³⁾ Quae quidem quum denuo exortae essent omnes nobiles iam antiquitus in Attica indigenas, quippe quibus imperium alienigenarum Thesidarum onus esset gravissimum, nomen eupatridarum comprehendit. At inveteratum illud eupatridarum odium eo crudelius in Thesidas tum conversum esse credo, quod Thesidas Athenas reversos nobilium in re publica potentiam coercuisse, ipsorum autem amplificasse probissime conicere mihi videor.⁸⁴⁾ Quibus omnibus rebus iuste consideratis quanto cum desiderio infestissimi illius regni labem eupatridae speraverint facile intelligitur. Quid est igitur quod obstat ne nobiles Athenienses ideo Nelidas

⁷⁶⁾ Duncker III, 95. 509. Plut. 3. 13: *πάλλον ἔπηλυσ ὦν καὶ ξένος* (Theseus). cf. Paus. II, 30.

⁷⁷⁾ Pausan. I, 22. 28. schol. ad Aristoph. Plut. 627. Hermann Staats-Alterthümer § 102. Wachsmuth I, 431: Erkennbar ist in dem jüngst geeinten Staate fortdauernde Parteiung und das geringe Ansehen des Gesamtkönigthums, dessen Urheber als illegitim angesehen wurde.

⁷⁸⁾ Plut. 32: *ὅπως* (eupatridarum imperiis eversis) *ἀντὶ πολλῶν καὶ ἀγαθῶν καὶ γνησίων βασιλέων πρὸς ἓνα δεσπότην ἔπηλυν καὶ ξένον ἀποβλέπωσι.*

⁷⁹⁾ Duncker III, 99. Paus. I, 18. III, 18. Plut. 32. cf. 33.

⁸⁰⁾ Plut. 35.

⁸¹⁾ Etym. Magn. s. v. *ἀρηγήσιον* p. 141 edit. Syll.

⁸²⁾ Grote I, 406. cf. Plut. l. c. Meurs. de reg. Ath. III, 4.

⁸³⁾ Suidas. s. v. *Θησεΐδας*. cf. not. Bernh. *τίς φθόνος αἰέν, Θησεΐδας ἀγαθῶν ἔγχοτος αἰέν ἔχει;*

⁸⁴⁾ Ubbo Emm. descript. in Gronov. thes. IV, 436.

illos Messenios in patriam libenter recepisse censeamus, quo eorum auxilio Thesidas gradu regio facilius depellere possent?⁸⁵⁾ Quod autem Thesidis potestate privatis ad alium alienigenam eupatridae summum imperium detulerunt, ut gravissimo Clintonio auctore⁸⁶⁾ de Nelidarum studiis taceam, maxima ex parte inde factum esse iudico, quod erat periculum ne communi hoste alienigena amoto eupatridae eadem qua antea domestica laborarent discordia. Nam ex ipsis illis nobilium de principatu contentionibus non solum parvarum civitatum infirmitatem emanasse supra iam commemoravi, sed etiam evenisse ut ad animos civium consociandos saepenumero peregrini nobiles summo imperio praeficerentur. Ne igitur Thesidis a re publica administranda remotis novae patriciorum de summis magistratibus obtrectationes fierent, neve, quum Dores hostes nimia imperandi cupiditate adducti civitatis Atticae perniciem Peloponneso occupata moliri viderentur,⁸⁷⁾ res publica internis turbis magis etiam infringeretur ad omnium salutem conservandam Melantho alienigenae nobiles summam rerum concesserunt.⁸⁸⁾ Qui quidem Melanthus quum a contentionibus diversarum et eupatridarum et Thesidarum factionum longe aberat, tum victoria de Boeotorum rege⁸⁹⁾ reportata, quum a summo periculo rem publicam liberasset, Atticorum animos valde sibi devinxerat.⁹⁰⁾ Eo libentius autem Melantho eupatridae Attici illam dignitatem mandaverunt quod Melanthus Nelides alioquin nobilissimo loco⁹¹⁾ esset ortus, eundemque regis honorem Pyli iam obtinisset. Quo Melantho Athenis rege nobilium Atheniensium in principem motus penitus cessasse arbitror. Nam Doribus quum Corinthus capta esset⁹²⁾ civitati interitum paraturis⁹³⁾ a rebus internis ad externas considerandas omnium tum oculi convertebantur, et ad communem hostem depellendum maxima Atticorum concordia tum erat opus.⁹⁴⁾ Sed quum Codro mortuo Atheniensium civitas ab hostium periculo vacua securitate atque pace frui coepisset, quin eadem illae turbae domesticae ab eupatridis profectae rem publicam magis magisque perturbaverint nemo erit qui dubitet. Quae quidem eupatridarum in eum qui summum

⁸⁵⁾ Alcmaeonid. 11.

⁸⁶⁾ fast. Hell. I, 112.

⁸⁷⁾ Alcmaeonid. 19.

⁸⁸⁾ Grote I, 406.

⁸⁹⁾ Alcmaeonid. 8. 10. cf. lexicogr. s. v. ἀπατοῖα. Etym. M. ed. Sylb. s. v. Κορυθαῖος 533.

⁹⁰⁾ Duncker III, 235.

⁹¹⁾ Alcmaeonid. 6.

⁹²⁾ Clavier histoire etc. II, 60.

⁹³⁾ Strabo 550. 602. Herod. I, 76.

⁹⁴⁾ Alcmaeonid. 19.

locum obtinebat seditiones tum maiore cum saevitia quam antea conflatas esse coniecerim, quod quum archontes rationem rerum gestarum senatui nobilium reddere deberent⁹⁵⁾ multo liberius atque insolentius quam Theseo regnante illis sese gerere licebat.⁹⁶⁾ Nam id ipsum quod unius potestas post Codrum mortuum graviter erat debilitata,⁹⁷⁾ nobilium autem confirmata atque aucta⁹⁸⁾ effecit ut naturali quodam impetu permoti ad ipsorum auctoritatem magis etiam amplificandam latius progredierentur.⁹⁹⁾ Nam quamquam archontis imperium dissimillimum eius fuit quod ante Melanthum principem valuerat, neque immerito post Codrum nobilium potentiam Athenis constitutam esse gravissimi quidam auctores iudicarunt,¹⁰⁰⁾ tamen archontem quum summae rerum praeesset in primis in re publica administranda etiam tum frenum quoddam nobilium licentiae imponere potuisse arbitror, quod quidem frenum nobilibus erat molestissimum. At quod attinet ad archontis de plebeiis imperium eius modi profecto fuisse videtur ut nobilium invidiam conflaret.¹⁰¹⁾ Nam quum, quod iam antea contendi, geomori et demiurgi rei publicae administrandae essent expertes, tum nobilium tum maxime autem archontis auctoritati prorsus illos esse obsecutos mihi persuasum habeo. Quidni igitur eupatridas indigenas summa cum invidia¹⁰²⁾ magno huic de plebe Nelidarum imperio obtrectasse censeamus? Nonne eupatridas omnes intendisse nervos consentaneum est et ut iugum ipsorum etiam cervicibus a Nelidis impositum depellerent, et ut illam in rusticos potestatem Nelidis extortam in sese conferrent? Itaque quod antea rei publicae salutem eupatridae duxerant idem postea, quum alienigenae Nelidae tantam potestatem essent consecuti, iis visum esse malum credo, et quod istos advenas in civium numerum omnino ascivissent valde eos piguisse. Unde etiam factum est ut pro maiorum in alienigenas humanitate¹⁰³⁾ apud posteros Athenienses in peregrinos quoddam odium invalesceret,¹⁰⁴⁾ neque

⁹⁵⁾ Suidas edit. Bernh. s. v. ἄρχων c. not. Grote II, 58. Duncker III, 508. Zeitschrift für Alterth. 1834. p. 334.

⁹⁶⁾ Wachsmuth I, 378. 433.

⁹⁷⁾ Pausan. IV, 5. Meier und Schoemann Der Attische Prozess 12. Boeckh Staatshaushaltung edit. II, I, 658.

⁹⁸⁾ Wachsmuth I, 431. 433. 435. cf. Young Der Geist Athens. Aus dem Englisch. Leipzig 1777 p. 32. Herm. Staats-Alterth. IV. 177.

⁹⁹⁾ Clinton I. VIII: the gradual limitations of the power of the chief magistrate at Athens, which occurred between the death of Codrus, were imposed by the aristocracy who restrained the powers *κτλ.*

¹⁰⁰⁾ Niebuhr Vorträge I, 315. Wachsmuth ls. es. Plass, I, 53.

¹⁰¹⁾ Wachsmuth I, 433.

¹⁰²⁾ Ael. v. h. II, 13. III, 17.

¹⁰³⁾ Duncker III, 104. 223 *κτλ.* 507. Platner 22. Alcmaeonid. 7.

¹⁰⁴⁾ Suid. s. v. ξενικοῖς. s. v. γλάμων. Hesych. edit. Albert. s. v. ξένοι cf. not. Hermann Staats-Alterth. 123. Plass I, 53. cf. not. 115. p. 20.

tam facile alienigenae nobiles in civitatem Atticam reciperentur. Nam quod Gephyraeos ex Boeotia profectos¹⁰⁵⁾ certis quibusdam terminis constitutis civitatis factos esse Athenis participes Herodotus tradit,¹⁰⁶⁾ documento esse potest illos tum Athenas pervenisse quum eupatridae maximo cum livore Nelidarum opibus iam invidebant. Qua re diligenter considerata unde eupatridae commoti sint optime praeterea intelligi potest, quod tempore posteriore lex lata est ut singuli archontes annui essent indigenae et patridae, ut ita dicam, Athenienses, ne aliunde asciti neve peregrini.¹⁰⁷⁾ Illud etiam a nostra quaestione non est alienum quod qui postea alienigenae praecipue ad mercaturam faciendam Athenas commigraverant, quibus nomen erat metoecis,¹⁰⁸⁾ et agros in Attica sibi comparare erant vetiti,¹⁰⁹⁾ et multis ab indigenis molestiis atque vexationibus obiecti.¹¹⁰⁾ Quod igitur Niebuhrius Themistoclis demum temporibus veterem Atheniensium indigenarum in peregrinos inhumanitatem ex inimica quadam suspicione ortam esse sublatam contendit, ut ab antiquissimis Atticorum rebus plane abhorret ita ad tempora posteriora quam maxime quadrat.¹¹¹⁾ Ut autem ad Nelidas revertamur qui quaero fieri potuit in illis turbis domesticis, in tantis multorum adversariorum molestiis, qui quamquam inter sese ipsos vehementer dissidebant voluntatibus tamen consociatis communem omnium hostem persequebantur, ut Nelidarum principatus diu constaret? Causas igitur quibus post Alcmaeonem archontem novae rei publicae formae constitutae sunt non tam inde repetamus quod Nelidae archontes summo magistratu obtinendo erant indigni quam quod funestissimum novandi studium eupatridas Athenienses ira in alienigenas exacerbatos occupaverat.¹¹²⁾ Quae quum ita sint quid de levissima eorum opinione dicamus qui ideo principatum Nelidarum esse eversum somniarunt quod principes luxuria morumque libidine perditum nimis libere atque insolenter in cives agere coepissent, et imperii Nelidarum fastidium Atheniensibus movissent?¹¹³⁾ Nam quum ratione rerum gestarum reddendae

¹⁰⁵⁾ Duncker III, 509.

¹⁰⁶⁾ V, 57. Zeitschrift etc. 1843. 7. Heft. Meier de gentil. 39.

¹⁰⁷⁾ Meier de gent. ind. schol. Hal. VII. Hermann Staats-Alterth. edit. III. 221.

¹⁰⁸⁾ Beck. anecd. Graec. s. v. μέτοικοι 281.

¹⁰⁹⁾ Schoemann antiquit. 190.

¹¹⁰⁾ Harpocr. edit. Val. s. v. ἐξένηξε. s. v. μέτοικοι cf. not. p. 69. Thom. Mag. s. v. ξένον. Schoem. Gr. Alt. I, 356. Niebuhr Vorträge I, 421.

¹¹¹⁾ Niebuhr l. c. Schoemann Gr. Alt. I, 355. 356.

¹¹²⁾ Hermann Alcmaeoniden etc. Wachsmuth I, 470.

¹¹³⁾ Sigon. de re publ. Athen. I, 5. Bernard. de archont. 29. in annal. acad. Lovan. 1823-1824. Ubbo descript. rei publ. Ath. in Gronov. thes. IV.

esset obnoxius quo pacto imperandi libidine in Athenienses uti principi licebat? Nonne illud potius maximo cum studio ei erat contendendum et ne a nobilibus ob res iniuste gestas poenas sumeret,¹¹⁴⁾ et ut comitate atque humanitate civium animos iam ultro sibi infestos reconciliaret? Itaque illis multo magis Thirlwallus noster¹¹⁵⁾ ad verum accessit perpetuos Atheniensium in summum magistratum impetus esse fere solas res confirmans quae Athenis complures per aetates gestae sint. Quibus continuis et vehementibus eupatridarum turbis quum Nelidae alienigenae, licet fortissime sese defendisse videantur, resistere non possent eorum principatus ad postremum labefactum est. Quod igitur Aristoteles¹¹⁶⁾ alia iura populo a principibus esse remissa, alia principibus a populo extorta confirmavit, horum alterum potius ad Alcmaeonem et Charopem archontes quam Sigonio auctore¹¹⁷⁾ ad Medontem et Charopem referam, praesertim quum quae Codro mortuo nova rei publicae forma Athenis erat non tam aegre constitutam esse censeam, illam autem quae post Alcmaeonem valebat maxima cum vi. Licet enim qua ratione Alcmaeonis Nelidae imperium corruerit ab auctoribus memoriae non sit traditum, certis tamen quibusdam vestigiis nixos coniecturam probabilissimam capere nos posse arbitror. Quae quidem vestigia annis imperii mihi videntur esse impressa quos singulos archontes post Codrum regem creatos summae rerum praefuisse certiores finis. Medonti enim tribuuntur anni viginti, Acasto triginta sex, Archippo undeviginti, Thersippo quadraginta unus, Phorbanti triginta unus, Megacli triginta, Diogneto viginti octo, Pherecli undeviginti, Aripthoni viginti, Thespico viginti septem, Agamestori viginti, Aeschylo vinginti tres, sed Alcmaeoni tantum duo.¹¹⁸⁾ Quis autem est in tanta numeri postremi a ceteris discrepantia qui illud meritissimo non suspicetur Alcmaeonem archontem eadem qua priores ratione imperio minime esse perfunctum? Itaque quum iam antea tum maxime Alcmaeone Athenis imperante rem publicam crudelissimis bellis domesticis ab eupatridis¹¹⁹⁾ Atheniensibus in alienigenas Nelidas conflatis esse perturbatam contendo, et Alcmaeonem Nelidam quum inferior esset vi nobilium eupatridarum aut esse magistratu remotum aut etiam trucidatum.¹²⁰⁾

¹¹⁴⁾ Beck. anecd. Graec. s. v. *εὐθύνα* p. 187.

¹¹⁵⁾ II, 18. cf. Corsin. fast. Att. I, 3.

¹¹⁶⁾ polit. III, 9 fine.

¹¹⁷⁾ de re publ. Athen.

¹¹⁸⁾ Clint. fast. Hell. I, 131.

¹¹⁹⁾ Duncker III, 510.

¹²⁰⁾ cf. Duncker l. c.

Iam vero ut summam nostrae quaestiunculae complectamur nomen eupatridarum quum Theseo et Thesidis regnantibus tum maxime autem Nelidis summam rerum Athenis obtinentibus viguisse mihi persuasum habeo. In duas factiones inde post archontes constitutos usque ad Periclis Alcmaeonidae tempora nobiles Athenienses separatos esse iudico, quarum ab altera erant omnes qui post communem demum civitatem Atheniensem conditam Athenis conederant, inque eorum numero inprimis Melanthidarum, Pisistratidarum, Alcmaeonidarum familiae, ab altera autem illi nobiles Attici indigenae, qui quum iam antiquitus terram Atticam incolerent, alienigenarum Nelidarum in re publica potentiam aegerrime ferentes ad ipsorum in istos ἐπήλυδας sive ξέρονς contemptum atque odium probe significandum¹¹⁾ illam εὐπατριδῶν ἐπωνυμίαν¹²⁾ sibi imposuerunt.

¹¹⁾ Suid. s. v. ἔπιλυν. s. v. ξέροις. s. v. ξενικός. s. v. ἀθιγενής. s. v. ἐγγόριον c. not. s. v. Ἰναχίδας. Hesych. s. v. ἐπήλυδας. s. v. ξένοι c. not. Pollux III, 4. cf. I, 150. c. not. 30. Hemst. Harpocr. s. v. ἐξένιζε c. not. Vales.

¹²⁾ Isocr. de big. 25.